

dat? De christianorum cultu ne levissimum quidem indicium, nisi S. Petri templum nominare velis a christiano medii aevi ut videbimus intrusum. Theodosii aevo quum igitur nostra Tabula omnino deneganda sit, studium nostrum convertatur ad indagandam veram nostrae recensionis aetatem.

S e c t i o II.

Quo aevo, quibus Imperatoribus, archetypon, cujus exhibemus delineationem, prodierit.

In scriptis ad rem geographicam spectantibus, nullum praestantius inveniendae aetatis est remedium, quam quod opus ipsum, de quo quaesiveris, tibi suppeditat. Rarissime, licet auctor summa cura nitatur, continget, ut aevum, quo vixerit, curiose investiganti subtrahat lectori; nunquam certe in volumine universum Orbem complectente. Vano incepto sileat de eo quod sua aetate accidit, vel nolenti elabuntur nonnulla illum prodentia. Et fac effecisse ut vetustior appareret, recentior certe apparere nullo modo potest; immutationum enim posteriorum ignarus, de illis nisi divino ope adjunctus sit, quidquam in medium proferre denegatur viro. Id unum evenire potest, quod Ptolemaeo et nostrae quoque Tabulae accidit, ut posterioris aevi nugator aevo antiquo recentius quidquam et suae aetati conveniens operi allinat. Sed alinit tantum, omnis connexio statim redarguit fraudem. Quae cuncta hic in universum dicta in Tabulae auctorem suam aetatem celare haud cupientem non cadunt; plane nudum sese offert, nostrae expositum investigationi. Qua de causa e collatione nostri Orbis Picti cum multivariis, quae procedente aevo in Romano imperio acciderunt immutationibus, in acquisitis, depertidis, ordinatis provinciis, novis subiade conditis urbibus de vera delineationis aetate iudicium ferre licet.

Eam normam Scheybius quoque in vestigando auctore sibi dictam esse voluit, parum felici tamen, nisi fallor, successu, versibus metatorum dum illectus cuncta in suum Theodosium convertat studia. Illum in ultimis iisque tranquillioribus regiminis annis magnum opus mensurationis per omnem Romanum Orbem suscepisse atque perfecisse sibi persuadet; idque eo certius, quod mentio urbis Constantinopoleos in Tabula post Constantini M. tempora eam compositam esse testetur, nec tamen fluxo imperii post eum statu ab alio nisi a Theodosio perfici potuerit. Alia insuper suffulcit sententiam geographica ratione. Britannia, Hispania atque Africae pars Mauritaniam complectens, desunt in Orbi Picto; omissae Scheybii opinione, quod eo tempore illae provinciae Romanis jam erant ereptae.

Curatius autem rei connexum inspecturo ex iis ipsis argumentis emergit contraria sententia. Turbatam post Constantinum M. rempublicam nullus non agnoscit, sed nec Theodosius tranquillitatem ex omni parte ei reddidit, ut quieta mensuratio per Orbem institui potuisset. Et qualis mensura